



## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad  
proxim accommodatas

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

P. 8. De fine Legis cessante.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40873**

diligens examen maneat dubium, an in lege  
contineatur. Exempli causâ, Præceptum est die  
Dominico abstinere ab opere servili: dubium  
manet an pingere sit opus servile; non teneor à  
pingendo abstinere.

P.VII. An Lex acceptata, aut abrogata.

**Q**uando constat de lege, sed dubium est an  
fuerit recepta, aut posteà abrogata, pergit  
illa dubitantem obligare. Quia pro lege, quam  
constat existere, stat præsumptio, & possessio  
juris ut ei obtemperetur; ac proinde alleganti,  
eam ab initio non esse acceptatam, aut aliquan-  
do fuisse abrogatam, incumbit probatio istius  
quod allegat, quam cùm dubius exhibere non  
possit, manet ea lege adstrictus. Quamvis in  
dubio de legis *Acceptatione* probabile sit eam non  
obligare, cùm plures doceant leges faltem ci-  
viles sine populi acceptatione esse invalidas, uti  
tenent plerique Canonistæ, Item Navar. Azor.  
alii citati à Laym. l.1. tr.4. c.3.

P.VIII. De fine Legis cessante.

**Q**uando constat finem adæquatum legis ex  
toto cessare, cessat etiam totaliter ejus ob-  
ligatio: uti cum communi docet *Suar. Covar.*  
*Ariaga de leg. d. 27. Sect. 6.* Ratio est, quia lex  
ordinatur tanquam medium ad procurandum  
bonum aliquod publicum, vel privatum, vel  
malum avertendum: ergo quando observatio  
legis ad hæc nullo modo conducit cessat habere  
rationem mediæ.

Exempli causa: si lex lata sit nemo egre-  
diatur civitate ob metum hostis, desinit ob-  
ligare,

ligare , si constet hostem procul abesse.

Hinc etiam inferunt aliqui apud Ariaga *suprà*, Cessante fine adæquato legis in casu particulari, probabile esse pro eo casu cessare legis obligationem. Quia quando ratio adæquata legis ex toto cessat definit etiam tota ejus obligatio , ergo dicendum est illam in uno casu desinere, in quo adæquatius ejus finis evanescit. Et hinc interfert cessare in casu individuo legem correctionis fraternæ , quando ex alterius admonitione nulla correctio speratur.

P.9. *Dubius de Debito , de Solutione , & aliis.*

**Q**ui dubius est , post diligens examen , an a liquid alteri debeat , nihil tenetur solvere. Quia iniqua esset solutio certa pro debito incerto.

Verum , qui certus est de debito , & tantum dubius est an persolverit , à solutione non eximitur , *Suar. Vasq. Dian. p.2. Tr.6. ref.49.* Eo enim casu pro debito stat possessio. Si tamen ipse simul creditor de accepta solutione dubitaret , opinantur alii debitorem ad nihil teneri , *Tanner. I. 2. d.2. q.6. d.4* alii docent pro qualitate dubii ad partem obligari , *Laym. Dian. p.4. Tr.3. refol.32.*

Si depositarius , aut commodatarius dubitet an culpâ suâ amiserit rem quam depositam aut commodatam accepit , non tenetur ad restitucionem pro ea præfandam. Quia uterque est in possessione libertatis, neque lex ulla resistit , neque culpa præsumitur , nisi casus sit talis in quo culpa intervenire solet : quod etiam docet Scilder de conscient. pag.442. & Bardi pag.594.

Si mutuatarius aliquid mutant dederit supra sortem,